cllu

ler

DE

LEGE VILLIA ANNALI

MAGISTRATVVM ROMANORVM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

DIE XX. MARTII A. O. R. CIƆIƆCCLXV.

DISPVTABIT

AVGVSTVS FRIDERICVS SCHOTT

DRESDENSIS

ARTIVM MAGISTER

RESPONSVRO

CAROLO AVGVSTO SCHLOCKWERDER

LOEBAVIA-LVSATO

LL. CVLTORE.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



§. I.

Ratio tractationis.



Cum ſcribendi nobis neceſſitas impoſita videretur, latum literarum campum percurrebamus, incerti, vbi conſiſteremus; tandem in Latio pedem fiximus. Habet namque antiquitatis indagatio tantam cum vtilitatem, tum iucunditatem, vt nemo, qui paulo liberaliori animo eſt, illius amore non capiatur, quin abripiatur; quem vel propterea nos decere exiſtimamus, quod iſtarum rerum ſcientia noſtris inprimis ſtudiis, quae Themidi potiſſimum conſecrauimus, quam maxime digna eſſe videtur. De aetate igitur, quam ſingulis honorum gradibus conuenire, Quirites voluerunt, exponère inſtituimus. In quo quidem argumento tractando hanc nobis legem diximus, vt, de anno, quo vti toga virili, et militare Romani adoleſcentes coeperint, praefati, quid vetuſtiſſimis temporibus de legitima magiſtratuum aetate obtinuerit, eruamus, porro legis Villiae ſententiam declaremus, et quo

anno ſinguli magiſtratus in vrbe capi potuerint, indicemus, ſpeciem denique huius inſtituti, euerſa republica, deſcripturi.

§. II.

Aetas togae virili capiendae ſollemnis.

Sapienter profecto Romani conſtituerunt, ne quis iuuenis, quacunque vellet aetate, negotiorum vt plurimum expers, ad rempublicam accederet, ſed non niſi aetate confirmatus laboribusque praeparatus ſummos, in quibus gerendis et grauitas quam maxime cernitur, et induſtria, et virtus, honores capeſſeret. Nam et aetatem ſpectarunt eorum, qui vellent publicis negotiis ſe immiſcere, et viam monſtrarunt, quae duceret ad rempublicam, et gradus poſuerunt, per quos adoleſcentes ad ſummos quosuis honores adſcenderent. Quo facilius autem intelligi poſſet, quando quilibet commodis reipublicae inſeruiendi aptus cenſeretur, ſollemni aliquo ſigno vſi ſunt, quod dignum iuuenem, qui publicis negotiis intereſſet, demonſtraret. Nam quem e pueris dimittere vellent, eum, poſita praetexta, omnique puerili veſtitu abiecto, toga pura, quae virorum erat, amictum in forum ſollemni pompa ducebant agnati, aptum iam forenſibus rebus percipiendis ciuem ſignificaturi. Quem quidem tirocinii ponendi ritum, cum alii ſatis copioſe explicuerint, non moramur. At de anno aetatis, quo pueri Romani virilem togam ceperint, (quod argumentum cum noſtra ſcriptione valde coniunctum eſt) paulo accuratior diſputatio a nobis inſtitui debet. Sunt enim diuerſae doctorum virorum de hoc tempore ſententiae. Quidam, vt, FERRARIVS, a) KEPLERVS, b) VALESIVS, c) ac inprimis DODWEL-

a) *Octau.* FERRARIVS *de re veſtiar.* lib. II. c. I. ap. *Graeu.* T. VI.

b) KEPLERVS *de anno natali Chriſti*, cap. 10.

c) *Henr.* VALESIVS in *Not. ad Nic.* DAMASCENVM *de inſtitut. Caeſaris Auguſti.*

DODWELLVS *) exacto anno quarto et decimo, et ineunte quinto id factum esse contendunt. Prouocat FERRARIVS ad veterem interpretem Iuuenalis ineditum bibliothecae Ambrosianae, cuius haec verba affert: *Praetexta genus erat togae; qua vtebantur pueri adhuc sub disciplina vsque ad XV. annum, deinde togam virilem accipiebant: vnde in Vita S. Germani legitur: Cessit praetexta togae.* VALESIVS vero omne sententiae suae praesidium in DAMASCENI d) fide quaerit, (quo argumento etiam vtitur DODWELLVS) qui de Augusto scribit, eum annos circiter XIV. natum toga pura, virilis tirocinii argumento, indutum fuisse. At quemadmodum hic Iuuenalis interpres, quem post Carolum Caluum, cuius aetate Ericus, Vitae S. Germani ibi laudatae auctor, floruit, vixisse oportet, nihil omnino efficit contra veterum scriptorum auctoritatem vimque argumentorum ex historia Romana petitorum, quae mox commemorabimus; ita DAMASCENI de aetate Augusti virilem togam capientis errorem ex ipso DAMASCENO NORISIVS e) accurate demonstrauit. Hic enim ipse scribit, Augustum eodem die togam puram induisse, ac Pontificem creatum in locum L. Domitii, qui e viuis excesserat. Atqui natus est ille a. v. DCXCI. autumni tempore, Domitius vero a. v. DCCVI. aestate occubuit. En igitur Augustum non prius, quam sub anni XVI. initium toga virili ornatum! Alii cum GRVCHIO, f) SALMASIO, g) atque MANVTIO, h) anno

 demum

*) DODWELLVS in *Praelect. Camden.* V. §. 1—6. quamquam hic de solis principum temporibus intelligendus.

d) *Nicol.* DAMASCENVS *de institut. Caesaris Augusti*, in *Excerpt. Peiresc.* p. 477.

e) *Fr. Henr.* NORISII *Cenotaph. Pisan.* Diss. II. c. 4.

f) *Nic.* GRVCHIVS *de comit.* lib. II. c. 3. ap. *Graeu.* T. I.

g) *Cl.* SALMASIVS *ad* LAMPRIDII *vitam Commodi*, cap. II.

h) MANVTIVS in *Epist. de toga Rom.*

demum XVII. coepto eandem traditam arbitrantur, sed nullo fere idoneo argumento. Quid? CALVINVS [i]) vsque ad annum XVIII. vsum eius prorogat. Sed sit fides penes ipsum eiusque collegas clarissimos, lexicorum conditores. Magis placet NORISII [k]) opinio, qui BAYFIVM, [l]) SIGONIVM, [m]) et FABRICIVM [n]) secutus, media via ingressus est. Probat enim exemplis Ciceronum, patris [o]) et filii, [p]) Virgilii, [q]) Augusti, [r]) ac Galbae, [s]) pueros XV. anno expleto et XVI. inito togam puram accepisse. Nobis ita videtur, nulla quidem lege, attamen more annum XVI. togae mutationi praefinitum fuisse, neque adeo sancte illum seruatum, quin ab eo interdum recesserint Romani. Certe Imperatores modo celerius, modo tardius filiis eam dederunt. De Nerone, qui Cn. Acerronio Proculo et C. Pontio Nigro Coss. a.v. DCCXC. XVIII. Kal. Ianuar. nouem post Tiberii obitum menses in lucem venerat, [t]) TACITVS scribit: [u]) *Ti. Claudio V. et Ser. Corn. Orphitio Coss.* (id est, a. v. DCCCIV.) *virilis toga Neroni maturata, quo capessendae reipublicae habilis videretur.* Caligulam vero vicesimo demum aetatis anno togam sumsisse, SVETONIVS

i) CALVINVS in *Lexico* s. v. *toga.*

k) NORISIVS l. c.

l) *Lazar.* BAYFIVS *de re vestiar.* *ad tit.* π. *de auro et arg. leg.* cap. X. ap. *Graeu.* T. VI.

m) *Car.* SIGONIVS *de iudic.* lib. III. cap. 19.

n) *Franc.* FABRICIVS in *Historia Ciceronis ad a. Cic. XVI.*

o) De quo vid. FABRICIVS l. c.

p) Natus est L. Iulio Caesare et C. Marcio Figulo Coss. a. v. 690. Togam ei dedit pater L. Corn. Lentulo et C. Claudio Marcello Coss. a. v. 705. CICERO *ad Attic.* lib. I. ep. 2. et lib. IX. ep. 19.

q) Natus est in priori consulatu Pompeii et Crassi a. v. 684. togam virilem sumsit in altero eorundem a. v. 699. vt narrat DONATVS in eius vita.

r) SVETONIVS in *Octav.* cap. VIII.

s) Hunc natum esse ait SVETONIVS in *Galba* cap. IV. M. Valerio Messalla et Cn. Lentulo Coss. a. v. 751. IX. Kal. Ianuar. togam vero puram induit a. v. 767. ipsis Kal. Ianuar. teste DIONE *Hist. Rom.* lib. LVI. c. 29.

t) SVETONIVS in *Tiberio* cap. LXXIII. et in *Nerone* cap. VI.

u) TACITVS *Annal.* lib. XII. cap. 41.

NIVS [x]) auctor est. Legendus omnino NORISIVS, cui plurima debemus.

§. III.

Aetas militaris. Via ad honores.

Induti autem iuuenes toga virili *tirones* [a]) dicebantur, quod mox apti censerentur militiae suscipiendae, quam detrectare non poterant, nisi ignominia notari ac inter aerarios referri vellent, cuiusmodi exemplum LIVIVS memoriae prodidit. *) Ita enim iam ab Seruio Tullio (TVBERONEM [b]) antestor) sancitum erat, vt iuuenes ab anno XVII. milites scriberentur. Ante hunc annum vero militare nefas erat, **) nisi extrema vrgente necessitate, qualis bello Punico secundo contigit, vbi decretum est a senatu, ferrent tribuni plebis ad populum, vt, qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum, aut maiores, milites facti essent. [c]) Quapropter, cum nonnulli, ambitione, vt videtur, ducti, quo citius ad honores venirent, ante id tempus militiae nomen dedissent, tulit C. Gracchus, tribunus plebis, legem, νεωτερον έπτα καὶ δεκα ἐτων μη καταλεγεσθαι ςρατιωτην. [d]) Incipiebat igitur aetas militaris cum ipsa pubertate. Vnde recte VEGETIVS scribit: [e]) *Si antiqua consuetudo seruanda sit, incipientem pubertatem ad dilectum cogendam.* Ac SILIVS [f]):

Pubescit

x) SVETONIVS in *Caligula*, cap. X.

a) Idem in *Nerone* cap. VII.

*) LIVIVS lib. XXVII. cap. 28.

b) Apud GELLIVM *Noct. Attic.* lib. X. cap. 28.

**) Quare non consentimus cum DODWELLO, qui in *Praelect. Camden.* V. §. 9. et X. §. 9. 10. statim a deposita praetexta militasse Romanos, statuit, quod ne de principum quidem temporibus concederem, vbi nihil plane certi obtinuit, siquidem omnia tum turbata.

c) LIVIVS lib. XXV. cap. 5.

d) PLVTARCHVS in *Vita Gracchorum.*

e) VEGETIVS *de re milit.* lib. I. cap. 4. ibique STEWECHIVS.

f) SILIVS *Italicus de bello Pun. Sec.* lib. II. v. 318. sq.

Pubescit miles castris, galeaque teruntur
Nondum signatae flaua lanugine malae.

In quibus locis miror LIPSIVM [g]) haesisse, horum auctorum incuriam accusantem, quod nec decimus septimus annus initium sit pubertatis, nec impuberes ad arma veniant. Scilicet non cogitauit, aliam pubertatem plenam esse, aliam minus plenam; hanc XIV. illam XVIII. annis finiri. De postrema, non de priore, vtriusque verba interpretanda. Illud vero inprimis declarat Romanorum sapientiam, quod neminem fere ciuilibus negotiis expediendis idoneum iudicarunt, nisi in castris versatum ac virtute insignem, quae armorum praesertim exercitatione ac in ipsa militia comparatur. Ac ne militasse quidem omnino sufficiebat, sed certum militiae tempus definitum erat iis, qui vrbanos magistratus capere vellent. Hos enim appetentem decem stipendia confecisse oportebat, vt auctor est POLYBIVS his verbis: [h]) Πολιτικην δε λαβειν αρχην ουκ εξεστιν ουδενι προτερον, εαν μη δεκα στρατειας ενιαυσιους η τετελεκως. Ante annum igitur XXVII. nulla consequendorum honorum spes. Quae tamen verba caute explicari debent. Nam primum ad solos superiores magistratus pertinent, non ad inferiores, quales erant Vigintiuiratus et Praefectura vrbis Latinarum feriarum caussa, quos multum ante XXVII. annum captos fuisse, postea demonstrabimus, cum de vtroque dicemus. Deinde POLYBIVS de iis tantum dixisse videtur, qui per militiam ad honores euehi vellent. Non enim persuadere nobis possumus, hanc vnam viam fuisse capessendi rempublicam, sed duplicem potius ad honores adspirantibus propositam arbitramur, militiam alteram, alteram inferiorum quorundam magistratuum administrationem. Iuuat hanc nostram opinionem vel maxime

TACITI

g) *Iust.* LIPSIVS *de milit. Rom.* lib. I. Dial. II.

h) POLYBIVS *Histor.* lib. VI. cap. 17.

TACITI locus: [i]) *Per idem tempus* (de Tiberio loquitur) *Neronem e liberis Germanici iam ingressum iuuentam, commendauit patribus, vtque munere capessendi Vigintiuiratus solueretur, et quinquennio maturius, quam per leges, Quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulauit.* Ac alius DIONIS, qui de Claudio: Τους γαμβρους, inquit, [k]) *τοτε ἐν τοις ἑικοσιν ἀνδρασιν ἀρξαι, και μετα τουτο πολιαρχησαι ἐν ταις ἀνοχαις, ἐκελευε, και ὀψεποτε πεντε ἐτεσι θασσον τας ἀρχας ἀιτησαι σφισιν ἐπετρεψε.* Ex quibus satis apparet, munus Vigintiuiri aditum ad superiores honores aperuisse. Aut igitur militandum erat ei, qui ad rempublicam accedere volebat, aut inferiora quaedam munera subeunda. Vtrumque sane nemo potuit. Postremam praeterea viam citius militia ad honores duxisse, ex eo coniicimus, quod annus aetatis XXV. tamquam legitimus Quaesturae non vno exemplo significatur. Ita sane tolles dissensum doctorum virorum, qui de iusto Quaesturae anno disputarunt. Sed satis de his. De ipsis legibus, quae aetatem magistratuum definiuerunt, nunc dicendum.

§. IV.

Incertum, quid ante legem Villiam latam obtinuerit.

Initio quidem reipublicae Romanae, cum non aetas, sed sola virtus rerumque gerendarum peritia in tribuendis honoribus spectaretur, nihil de lege annali auditum. Nam *apud maiores*, inquit TACITVS, [a]) *virtutis id praemium fuerat, cunctis ciuium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuuenta consulatum ac dictaturas inirent.* Itaque etiam magnae indolei adolescentulis summi honores tum patuerunt. At postea, cum indi-

i) TACITVS *Annal.* lib. III. cap. 29. vbi videndus LIPSIVS.

k) DIO *Hist. Rom.* lib. LX. cap. 5.

a) TACITVS *Annal.* lib. XI. cap. 22.

indigniſſimi quiuis, vt videtur, iuuenes ad honores ruerent, numerusque candidatorum, qui virtute aequales, aetate diſſimiles erant, augeretur, ambitio leges annales attulit, vt ſcribit CICERO, [b]) vt gradus eſſent petitionis inter aequales. Quando autem primum ea de re aliquid latum fuerit, valde dubitatur. Primum legem annalem tuliſſe L. Villium, tribunum plebis, LIVIVS vult. [c]) At ipſe hoc euertere videtur, cum de P. Corn. Scipione Africano (vltra triginta ante legem Villiam annos) ſcribit, huic aedilitatem petenti obſtitiſſe tribunos, negantes, rationem eius habendam, cui nondum ad petendum legitima aetas eſſet. [d]) Vnde patet, iam tum de aetate magiſtratuum aliquid conſtitutum fuiſſe. Nam legitimum eſt, quod lege definitum. Accedit, CICERONEM [e]) atque OVIDIVM [f]) *leges annales* multitudinis numero appellare. Ergone LIVIVS erroris ac negligentiae arguendus? Ego profecto non auſim. Forte iam antea per partes de quorundam magiſtratuum aetate ferri coeptum, licet anni ipſi non accurate definirentur, quae omnia lex Villia iunctim poſtea complexa, et annos ipſos ſingulis honorum, curulium inprimis, gradibus accuratius praeſcribens, reliquas aboleuit, vnde ab LIVIO haud ineleganter *prima* vocatur: quae eſt coniectura doctiſſimorum virorum, PIGHII, [g]) LIPSII, [h]) MERVLAE, [i]) S. V. ERNESTI, [k]) praeceptoris noſtri ſumma pietate proſequendi, DVKERI, [l]) aliorum, eaque veriſimillima. Ita ſane

LIVIO

b) CICERO *Philipp.* V. cap. 17.
c) LIVIVS lib. XL. cap. 44.
d) LIVIVS lib XXV. cap. 2.
e) CICERO *Philipp.* V. cap. 17.
f) OVIDIVS *Faſt.* lib. V. v. 65. 66.
g) *Steph. Vin.* PIGHIVS in *Annal. Rom.* ad a. 573.
h) *Iuſt.* LIPSIVS *de magiſtrat. vet. pop. Rom.* cap. IV.
i) *Paul.* MERVLA *de legib. Rom.* cap. XXIV. §. 34. in *Oper. var. poſth.* LB. 1684. 4. et in *Io.* POLENI *Supplem. vtr. Theſ. Ant.* T. I.
k) S. V. *Io. Aug.* ERNESTI in *Clau. Cicer. Ind. LL. ſ. v. Annales.*
l) DVKERVS *ad Liuium* lib. XL. cap. 44.

LIVIO succurrendum. Neque tamen adeo refragabimur, si quis cum DVKERO [m]) (nam hic variat) statuere velit, tribunos plebis Scipioni ideo obstitisse, quia ante legem Villiam hoc solum cautum fuerit, ne quis vllum magistratum ante caperet, quam dena stipendia meruisset, quae Scipio tum propter aetatem non absoluerat; vel HEINECCIO [n]) adstipulari, maiorem XXV. annis aetatem per legitimam hoc loco intelligenti; vel denique BYNKERSHOECKIVM [o]) sequi, existimantem, ante haec tempora vnam eandemque aetatem omnibus honoribus fuisse praescriptam, siue legibus, siue moribus, postea Villium annos definiuisse in singulis magistratibus, vt maiorem minoremue prudentiam postularent. Quorum omnium opiniones DRAKENBORCHIVS [p]) collegit. Nos quidem in tanta coniecturarum multitudine nihil definire audemus, praeter hoc, iam ante legem Villiam aliquid de aetate magistratuum sancitum fuisse, cuius memoria ad nos haud peruenit.

§. V.

Lex Villia.

Paulo certior erit de lege Villia disputatio, cuius et auctor spectari debet, et aetas, et cognomina. Auctorem si quaeris, audies alios *Villium* vocantes, [a]) (et hi quidem recte) alios *Iulium*, [b]) alios *Iunium*. [c]) Omnes prouocant ad LIVIVM,

m) DVKERVS *ad Liu.* XXV. 2.

n) *Io. Gottl.* HEINECCIVS in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp.* lib. II. cap. VII. §. 3. p. 203.

o) *Corn. van* BYNKERSHOECK *Obseru.* lib. VI. cap. 17.

p) DRAKENBORCHIVS *ad Liuii* lib. XL. cap. 44.

a) v. c. *Paul.* MANVTIVS *de legib. Rom.* cap. VI. Ant. AVGVSTINVS *de legib. Rom.* s. v. *Villia annalis*, ap. *Graeu.* T. II. MERVLA l. c. PIGHIVS l. c. SIGONIVS, DVKERVS, et DRAKENBORCHIVS *ad Liu.* XL. 44. *Chr. Gudofr.* HOFFMANNVS in *Hist. Iur.* Vol. I. P. I. p. 199. S. V. ERNESTI l. c. et quamplurimi viri docti.

b) In quorum numero sunt: *Nic.* GRVCHIVS *de comit. Rom.* lib. I. cap. 3. ap. *Graeu.* T. I. et *Iust.* LIPSIVS *de Magistrat. Rom.* cap. IV.

c) Vt *Vlr.* ZASIVS in *Catal. Leg. ant.* s. v. *Iunia annalis.*

VIVM, cuius de iſta rogatione haec ſunt verba: d) *Eo anno rogatio primum lata eſt ab L. Villio*, (alias legitur *Iulio*, aut *Iunio*, inde omnis diſſenſus) *Tribuno plebis, quot annos nati quemque magiſtratum peterent caperentque.* Omnes librorum auctoritatem prae ſe ferunt, in quibus diuerſa huius nominis eſt ſcriptura. Attamen eos ſolos probos eſſe, qui *Villio* habent, ceteros indoctorum librariorum culpa deprauatos, viri doctiſſimi monuerunt. e) Floruit ſane Romae gens Villia, et plebeia, et geſtis honoribus inſignis, vt videre eſt apud GLANDORPIVM. f) Et a COELIO g) *L. Villius* quidam *Annalis* commemoratur, proſapia auctoris legis noſtrae, vt ex cognomine intelligitur. h) Non igitur eſt, quod dubitemus, *L. Villium Tappulum*, (id enim Villiis agnomen *)) Tribunum plebis, legem annalem tuliſſe. Quae quidem res ei tanto ceſſit honori, vt et ipſe, et eius familia *Annales* inde appellarentur, vt LIVIVS refert. i) Idem nos docet tempus, quo facta eſt haec rogatio, dum A. Poſthumium Albinum et C. Calpurnium Piſonem huic anno conſules adſignat, k) qui a. v. DLXXIIII. faſces tenuerunt, aut, vt alii malunt, a. v. DLXXIII. licet hoc leuiſſimum et quod a faſtorum diuerſitate proficiſcitur. Varia denique ſunt, quibus haec lex inſigniri ſolet, cognomina. Nam quia annos, quibus ſingulos magiſtratus petere fas eſſet, definiuit, *annalis* vocatur, quod vocabulum ceteris eſt vſitatius, et paſſim apud CICERONEM occurrit, nec non *annaria*, vt

d) LIVIVS lib. XL. cap. 44.

e) MERVLA, PIGHIVS, SIGONIVS l. c.

f) *Io.* GLANDORPII *Onomaſticon Hiſtor. Rom.* ſ. v. *Villii.*

g) COELIVS *ad Cicer.* lib. VIII. ep. 8.

h) Ergo *L. Tullius* ille *Annalis* apud VALERIVM MAXIMVM lib. IX. cap. 11. ſcribarum vitio extat, licet in multis libris Villius legatur.

*) Alius L. Villius *Tappulus*, Aedilis plebis, qui vltra XXX. annos ante noſtrum floruit, occurrit apud LIVIVM lib. XXV. cap. 2.

i) LIVIVS l. c.

k) Idem lib. XL. cap. 35.

vt ab FESTO [l]) atque LAMPRIDIO. [m]) Et cum ita comitiorum licentiae fraenum iniectum fuerit, *comitialis* audit apud PACATVM. [n]) Iam vero de argumento huius legis exponamus, necesse est, quod circa aetatem magistratuum versari LIVIVS auctor est, [o]) licet annos ipsos ea definitos omiserit, aliunde eruendos. Itaque aetatem legitimam in singulis honorum gradibus demonstraturi primum de anno Quaesturae dicemus.

§. VI.

Aetas Quaesturae.

Antea vero, quam annum aetatis, quo Quaesturam petere ac capere fas erat, definiamus, quaerendum videtur, vtrum de primo hoc honorum gradu lege annali aliquid cautum fuerit? Nam sunt, qui solis curulibus magistratibus eam vindicant, quorum agmen MANVTIVS [a]) ducit, hanc ob caussam ab LIPSIO [b]) notatus. Sed age, mi MANVTI, videamus, cur haec tibi sedeat sententia? Vagae ac incertae virorum doctorum de aetate Quaestoris legitima opiniones eam suaserunt? Quasi id semper falsum sit, de quo certatur! Ita nulla omnino veritas. Varia Quaesturae diuerso tempore gestae exempla [c]) confirmarunt? Haec autem nihil efficiunt, quam, quod ipse intelligis, liberum fuisse annum petitionis, modo ea non fieret ante annum XXVI. initum. Ita sane in omnibus magistratibus. Hos enim non statuto tempore necessario peti, sed non ante definitum

l) FESTVS *de Verb. Sign.* s. v. *Annaria.*

m) LAMPRIDIVS in *Vita Commodi*, cap. II.

n) LATINVS PACATVS in *Panegyr. Theodos.* cap. VII.

o) LIVIVS lib. XL. cap. 44.

a) MANVTIVS *de legib. Rom.* cap. VI.

b) LIPSIVS *de magistrat. pop. Rom.* cap. V. et *ad Tacit. Annal.* lib. III. cap. 29.

c) Vt, vtriusque Gracchi, qui anno XXVII. Cato Vticensis, qui anno XXIX. Cicero, qui anno XXXI. C. Iul. Caesar, qui anno XXXIII. eam gesserunt.

nitum annum capi, leges annales voluerunt. Vrges grauissimum CICERONIS testimonium, qui de Cn. Pompeio M. anno XXXVI. vt probas, Consulatum gerente: *Quid tam singulare*, inquit, d) *quam vt ex SCto legibus solutus, Consul ante fieret, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset?* Atqui primus magistratus, qui post annum XXXVI. capi poterat, erat Aedilitas curulis. Quid ergo clarius, quam Quaesturam cum Aedilitate et Tribunatu plebis legibus annalibus excludi? Sed dixit haec CICERO orator, qui, quo maiorem Pompeii admirationem excitaret, omissa inferiorum ac plebeiorum honorum mentione, magistratuum appellatione solos curules, tamquam per eminentiam, complexus est, vt indicaret, singulare esse in Pompeio, eum supremum curulium honorum gradum iam tum nactum fuisse, cum alias ne infimum quidem eorum capere liceret. Caue igitur, ne pro certis argumentis meras vendas coniecturas. Nos quidem, ni forte nimis nobis placemus, certiora habemus, quae tibi opponamus. Dicat pro nobis testimonium TACITVS, e) qui de Tiberio Neronem patribus commendante: *Et quinquennio maturius, quam per leges, Quaesturam peteret, — postulauit.* Nec denegabit, credo, hoc officium QVINCTILIANVS, cuius haec sunt: f) *Caluus, Caesar, Pollio, multum ante Quaestoriam omnes aetatem grauissima iudicia susceperunt.* Clarissime quoque SVETONIVS ita: g) *Germanicus — Quaesturam quinquennio ante, quam per leges liceret, — gessit.* Denique SPARTIANVS ait, h) Iulianum Quaestorem ante annum, quem *legitima aetas* sineret, designatum

d) CICERO *pro lege Manilia*, cap. XXI. de quo loco consulendi GRAEVIVS in *Not.* et GRVCHIVS *de Comit.* lib. I. cap. 3.

e) TACITVS *Annal.* lib. III. cap. 29.

f) QVINCTILIANVS *Instit. Orat.* lib. XII. cap. 6.

g) SVETONIVS in *Vita Caligulae*, cap. I.

h) SPARTIANVS in *Vita Iuliani*, cap. I.

tum esse. Haec vero luculentissima testimonia cum inspexerit, quis dubitet, legem annalem etiam ad Quaesturam pertinuisse? Iam nouum oritur bellum de legitimo Quaesturae gerendae anno, cui nos non ideo immiscemus, vt nostram forte interponamus auctoritatem, (nam quae turpior iuuenis literis leuiter imbuti licentia, quam arbitrum agere velle, vbi vtrinque pugnant viri doctissimi, et qui principatum tenent in literaria republica?) sed quia officium nostrum ita postulare videtur. Placet nempe aliis annus aetatis XXXI. [i]) aliis XXV. [k]) aliis denique XXVII. [l]) Nos vero non hoc agemus, vt harum aliquam sententiam audacter impugnemus, sed argumenta, quibus quaelibet nititur pars, bona fide indicabimus, et, quae forsan obstare videbuntur, dubia proponemus. Qui primum et tricesimum annum legitimum Quaesturae adsignant, illustre Ciceronis exemplum producunt, quem valde gloriatum esse aiunt, se omnes magistratus *suo anno*, h. e. lege annali definito, gessisse. Quaestorem vero ipsum fuisse annos XXXI. natum constat. [m]) Vnde colligunt, hunc aetatis annum Quaesturae capiendae praescriptum fuisse. Sed miramur, quod CICERO non nisi de solo Consulatu praedicauit, [n]) id ad omnes magistratus ab eo gestos trahi

a viris

i) Vt, PIGHIVS in *Annal.* ad a 573. T. II. p. 334. aliique viri, etiam doctissimi.

k) LIPSIVS in *Exc. ad Tacit. Annal.* lib. III. c. 29. et *de magistrat. Rom.* c. V. CASAVBONVS *ad Spartiani Vitam Adriani*, c. II. BVLENGERVS *de Imper. Rom.* lib. III. c. 15. RVPERTVS in *Animaduers. in Pomponii Enchirid.* lib. II. c. 8. DODWELLVS in *Praelect. Camden.* X. §. 8. et 14. GRAEVIVS in *Not. ad Cicer. Or. p. lege Manil.* cap. XXI. CAMPIANVS *de offic. et potest. magistrat. Rom.* p. 34. 35. et 203.

l) ZAMOSCIVS *de Senatu Rom.* cap. VIII. GRVCHIVS *de comit. Rom.* lib. I. c. 3. ROBORTELLVS *de gradib. honor. et magistrat. Rom.* ap. *Graeu.* T. III. PATRICIVS *de re milit. Rom.* P. I. Sect. 3. ibid. T. X. MERVLA *de Legib. Rom.* cap. XXIV. §. 34. SIGONIVS *de ant. iure ciu. Rom.* lib. II. c. 2.

m) Conf. CORRADI *Quaestura*, P. I. p. 46. edit. Ernest. et FABRICII *Histor. Cicer.* ad a. Cicer. XXXI.

n) CICERO *Or. Agrar.* II. cap. 2.

a viris doctis, quamquam ne hic quidem de aetate Consulatus legitima, sed potius de interuallo Praeturam inter ac Consulatum interiecto interpretandus. Petiit Cicero primum honoris gradum serius, quam licebat, quoniam et nouus homo erat, et artis eloquendi addiscendae gratia vsque ad hoc tempus in Asia commoratus, cum non nisi anno ante petitionem reuersus domum in publicum prodire et nobiliores caussas agere coepisset. Ac licet de omnibus suis honoribus locutus esset Cicero, id tamen vix de aliis, quam de curulibus, valeret, nedum de Quaestura, quae, vt infimus honorum gradus et quasi via ad reliquos, [o]) fere non connumerabatur. Sic TACITVS Olliurn, etsi iam Quaestorium, honoribus nondum functum, scribit. [p]) Obstant praeterea huic opinioni grauissima illorum argumenta, qui annum XXVII. Quaesturae definiunt. Est namque locus apud POLYBIVM, [q]) cui vix aliquid possis opponere, vnde intelligimus, neminem potuisse vrbanum capere magistratum, nisi qui decem stipendia confecerit. Ante annum vero XVII. neminem militasse, supra probauimus. Quid igitur certius, quam annum aetatis XXVII. legitimum fuisse honorum capiendorum? Primus autem honorum gradus fuit Quaestura. Hanc ergo, quisquis anno XVII. coeperat militare, anno XXVII. capere potuit. Quae dixit contra LIPSIVS, [r]) tam leuia sunt, vt vix egeant responsione. Nam quod ait, vix credibile esse, ratam et firmam in republica fuisse Polybianam hanc legem, siue morem, cum nemo praeterea eius meminerit, hoc tanto viro plane indignum dictum arbitramur. Quis vnquam de POLYBII fide dubitauit? An maior LIPSII, quam POLYBII auctoritas? Nonne plus valet, quod vnus scriptor fide dignus prodidit,

o) Conf. GVLIELMVS *de magistrat. pop. Rom.* cap. XII. ap. *Sallengr.* T. III.

p) TACITVS *Annal.* lib. XIII. c. 45.

q) POLYBIVS *Histor.* lib. VI. c. 17.

r) LIPSIVS de magistrat. Rom. cap. V.

didit, quam quod decem alii leuis notae homines compilarunt? Si nihil credere velimus, quam quod centum alii affirmauerint, quam misera erit historiae facies! Deinde quod haec verba non de militia coacta ac de delectu, sed de voluntaria accipienda censet, neminem scilicet inuitum ante XVII. annum militem legi debuisse, nobiles tamen et eos, qui alerentur in spem honorum, militiae et castris iam ante hoc tempus, quid? statim a toga pura ita interfuisse, vt inde eorum stipendia numerarentur, existimans, id quidem moribus Romanis prorsus repugnat. Versatos saepe esse etiam ante XVII. annum pueros in castris ac contubernio viri alicuius illustris, facile largior, at processisse his statim ab hoc tempore stipendia, hoc nego ac pernego. Erat enim haec firmissima Romae lex, neminem ante annum XVII. initum legitima stipendia facere posse. Hinc, cum aliquando, extrema vrgente necessitate, iuniores XVII. annis ad arma vocarentur, opus erat lege Tribunorum plebis, vt illis perinde stipendia procederent, ac si XVII. annorum, aut maiores, milites facti essent. [s]) Nihil igitur impedit, quo minus POLYBIVM de militia coacta interpretemur. Ne autem quis nostram de legitimo Quaesturae anno sententiam exemplis destitui opinetur; Gracchos fratres in memoriam reuocamus, quorum vterque anno aetatis XXVII. Quaesturam gessit, auctore PLVTARCHO. [t]) Quod autem multi serius eam adepti sunt, triplex videtur esse caussa. Aut enim non statim ab anno XVII. militauerant: aut noui forte homines non nisi temporis diuturnitate in fauorem populi venire poterant: aut, cum patricii essent, nolebant minores magistratus praecipitare, ne nimis illis expectandum esset, donec maiores capere possent. Nam qui patricius Quaestor fuerat, nullum proximiorem, Aedilitate curuli, magi-

s) LIVIVS lib. XXV. cap. 5. t) PLVTARCHVS in *Vita Gracchorum.*

magiſtratum petere poterat, quam anno demum XXXVI. expleto fas erat capeſſere. Aliud in plebeiis, quibus poſt Quaeſturam etiam Aedilitatem plebis et Tribunatum plebis ante Aedilitatem curulem gerere licebat. Ita rationes ſubduxit GRVCHIVS. u) Reſtat, vt de eorum dicamus ſententia, qui iam anno aetatis XXV. Quaeſturam capi licuiſſe arbitrantur, quorum anteſignanus eſt LIPSIVS, x) qui triplici vtitur argumento. Primum a ratione ductum dicit, quod anno aetatis XXV. virilis vigor compleatur, vt cenſet VLPIANVS. y) Tunc igitur iuuenes iure aptos cenſeri ad res publicas et priuatas. Quo tamen neſcio an quid dici poſſit inſulſius? Alterum captum ab aetate ſenatoria, quam anno XXV. definit. Nam cum Quaeſtura primus gradus ſit in Senatu, colligit inde, eundem Quaeſturae, ac ſenatoriae dignitatis, annum eſſe legitimum. Sed etiamſi LIPSIO conceſſerimus, annum XXV. fuiſſe aetatem ſenatoriam, (quamquam hoc valde dubium, certe libera republica, vt recte viſum SIGONIO z) ac CAMPIANO aa) itemque ZAMOSCIO *)) vix tamen nobis perſuadere poſſumus, illum hinc recte ſuam adornaſſe ſententiam. Scimus enim, non eos ſolos, qui magiſtratus geſſerant, lectos fuiſſe in Senatum, verum alios etiam ex equeſtri ordine nondum functos honoribus. Ac his quidem ſolis certus annus praeſcriptus videtur, ne admodum iuuenes Senatores fierent. Certe in iis, qui iam honores geſſerant, opus non erat. Nam qui idoneus fuerat magiſtratibus adminiſtrandis, quidni talis Senator eſſe poſſet? Magis ſtringit vltimum, quod in exemplis poſitum eſt, vbi inprimis Tiberium proponit, qui Quaeſtor deſignatus eſt XIX. aetatis anno, VEL-

u) GRVCHIVS l. c.
x) LIPSIVS locis laud.
y) VLPIANVS lib. II. *ad Edict.* in cap. I. π. *de minor. XXV. ann.*
z) SIGONIVS l. c.
aa) CAMPIANVS l. c.
*) ZAMOSCIVS *de Senatu Rom.* cap. VIII.

VELLEIO teste, [bb]) at tum quidem quinquennio maturius, quam per leges licebat, quod DIO [cc]) aperte indicat. Ex quo haud obſcure putat intelligi, annum XXV. legitimum eſſe Quaeſturae. Et habet ſane hoc argumentum tantam vim, quae rapiat, quantum illud ex POLYBIO petitum, quo annum XXVII. ſtabiliuimus. [dd]) An igitur vtrumque verum, et XXV. et XXVII. annos legitimos fuiſſe Quaeſturae gerendae? Ita videtur. Noſtra ſcilicet ſic eſt ratio. Diximus antea, [ee]) et, ni fallor, probauimus, duplicem viam Romae ad honores duxiſſe, militiam, et inferiorum quorundam magiſtratuum adminiſtrationem, ac POLYBII quidem verba de ſola militia capienda eſſe. Si autem diuerſa fuit via, quid probabilius, quam diuerſam quoque fuiſſe aetatem legitimam, ita quidem, vt alio anno iis, qui militiam ſecuti erant, alio iis, qui inferiores quosdam magiſtratus, velut Vigintiuiratum et Praefecturam vrbis Latinarum feriarum cauſſa, geſſerant, ad ſuperiores honores, quorum primus erat Quaeſtura, adſpirare licuerit? Non absque ratione igitur coniicimus, eos, qui per militiam ad honores peruenire vellent, ante annum XXVII. Quaeſturam capere non potuiſſe, ſiquidem decem ſtipendia eos abſoluiſſe oporteret, POLYBII fide, quae demum ab anno XVII. currebant, at illos, qui togata virtute, quae in gerendis inferioribus magiſtratibus quam maxime conſpiciebatur, inclareſcere cuperent, biennio citius, et iam anno aetatis XXV. primum hunc honorum gradum, cum peterent, adeptos fuiſſe. Ita vero vtraque ſtat ſententia. Neque tamen, per nos licet,

C 2 inepte

bb) VELLEIVS PATERCVLVS *Hiſtor. Rom.* lib. II. c. 94.

cc) DIO lib. LIII.

dd) Sic Adrianus Quaeſturam anno XXV. geſſit. Conf. CASAVBONVS *ad Spartiani Adrian.* cap. II. et DODWELLVS in *Praelect. Camden.* X. §. 8.

ee) Conf. §. III.

inepte dixeris, ſub principibus, aut paulo ante lege aliqua (forte Pinaria, de qua poſtea) introductum fuiſſe, vt Quaeſturam anno XXV. capere liceret. Sed haec omnia ita a nobis dicta eſſe volumus, ne ſummorum virorum iudicio detraxiſſe quid videamur.

§. VII.

Aedilitas plebis.

Iungimus Quaeſturae Aedilitatem plebis, quae a ſolis plebeiis hominibus, vt Tribunatus plebis, capi poterat. Cuius annum legitimum inuenire difficilis res eſt. Fuit ſane diuerſus ab anno Aedilitatis curulis, licet LIPSIVS[a]) vtrumque miſcuerit. Nam inter Quaeſturam et Aedilitatem curulem hi duo plebeii magiſtratus interiici ſolebant. Tribunatum plebis veriſimillimum eſt, anno XXX. capere licuiſſe, vt mox apparebit. Atqui hanc Aedilitas plebis praeceſſit. Huic igitur annum XXVIII. legitimum adſignare non dubitamus. Sed redit res ad coniecturam, cui immorari nofas putamus.

§. VIII.

Tribunatus plebis.

Aedilitatem plebis ſequitur Tribunatus plebis, non vero ſtatim Quaeſturam, vt cenſet ROBORTELLVS.[a]) Aedilitatem enim ante Tribunatum captam fuiſſe, ex eo apparet, quod maior erat Tribuni, quam Aedilis plebis dignitas atque poteſtas, ſiquidem maior magiſtratus ſemper excipit minorem. In ipſo autem anno Tribunatus definiendo ab LIPSIO diſſentimus, qui viceſimum ſeptimum, aut octauum fuiſſe, ſine ratione ſcribit.[b]) Nobis quidem magis placet annus XXX. quo vterque Gracchus fuit Tribu-

a) LIPSIVS *de magiſtrat.* cap. V.
a) ROBORTELLVS *de grad. honor. et magiſtrat. Rom.* ap. *Graeu.* T. III. p. 45.
b) LIPSIVS l. c.

Tribunus, quos legitima aetate hunc honorem gessisse, inde fit probabile, quod iidem Quaestura anno XXVII. tamquam legitimo functi fuerunt. Qua in re nobiscum consentiunt GRVCHIVS c) et MERVLA, d) cuius egregii (vt sunt illius reliqua) de magistratibus Romanis commentarii, qui adhuc in tenebris latent, si in lucem prodiissent, plura forte ac doctiora, quibus haec sententia firmaretur, haberemus argumenta.

§. IX.

Aedilitas curulis.

Sequuntur curules honores, quorum infimus est Aedilitas curulis, quam quo anno genere licuerit, constat certius. Indicat eum nobis suo exemplo minor Scipio Africanus Aemilianus, dictus Numantinus, qui Aedilitatem petens, quam per aetatem capere poterat, Consulatum, cui nondum maturus erat, a populo legibus solutus obtinuit. a) Is vero tum egit XXXVII. annum, vt probat MANVTIVS. b) Vnde haud obscure intelligitur, hanc fuisse legitimam Aedilitatis curulis aetatem. Hoc autem valde mireris, quod GRVCHIVS Liuii Epitomatorem reprehenderit, quasi hic affirmauerit, c) defuisse tum Scipionis aetati decem annos ad Consulatus petitionem, cum tamen non nisi quinque defuerint. Nos sane quouis pignore contenderemus, GRVCHIVM memoriae nimis fidentem eius verba plane non inspexisse. Diuersa sunt loca, diuersum vtriusque argumentum. Nam in priori de primo Scipionis Consulatu loquitur, quem aetate aedilitia obtinuit, in posteriori de altero eiusdem, quem cepit nondum expleto decem annorum spatio, quod inter duos eiusdem hominis Consulatus intercedere debebat, ex lege veteri.

c) GRVCHIVS l. c.
d) MERVLA l. c.
a) *Epitom. Liuii* lib. L.
b) MANVTIVS *de Legib. Rom.* cap. VI.
c) *Epitom. Liuii* lib. LVI.

teri. Ita enim ſcribit Epitomator: *Delatus eſt vltro Scipioni Africano a Senatu populoque Romano Conſulatus, quem cum illi capere ob legem, quae vetabat quemquam intra decem annos iterum Conſulem fieri, non liceret, ſicuti priori Conſulatu, legibus ſolutus eſt.* Eadem aetate et Cicero geſſit Aedilitatem, de qua ipſe paſſim ſcribit. d) Alterum aetatis aedilitiae indicium praebet legitimorum Praeturae ac Conſulatus annorum computatio. Scimus namque, integrum ſemper biennium inter duos magiſtratus curules interiectum fuiſſe, ita, vt, ſi quis v. c. Praeturam geſſiſſet, is duobus demum annis praeterlapſis Conſulatum petere potuerit. e) Quodſi igitur a Conſulatu, qui anno XLII. peti et XLIII. geri poterat, ad Praeturam biennium retro numeraueris, reperies, Praeturae gerendae annum legitimum XL. fuiſſe, vt petendae erat XXXIX. Porro ſi totidem annos inter petitionem Praeturae et tempus, quo Aedilis eſſe licebat, interpoſitos obſeruaueris, efficitur, Aedilitatem curulem capi potuiſſe anno XXXVII. peti vero ſexto et triceſimo. Haec ſi LIPSIVS obſeruaſſet, non tanta cum fiducia annum XXVII. aut XXVIII. huic magiſtratui attribuiſſet.

§. X.

Annus Praeturae.

Eadem eſt aetatis Praeturae eruendae ratio. Nimirum cum temporis interuallum, quod ab Aedilitate ad Praeturam currebat, biennium neceſſario contineret, vt CICERO ad Furnium ſcribit, a) ita, vt nemo hanc petere poſſet, niſi qui duos annos (qui erant triceſimus octauus ac nonus aetatis) aedilitius fuiſſet, facile

d) CICERO in *Or. in Piſon.* cap. I. et alibi. Conf. CORRADI *Quaeſtura*, P. I. p. 59. edit. Erneſt. et FABRICIVS in *Hiſt. Cicer.* ad a. 37. et 38.

e) Quod cum aliis probauit GRVCHIVS l. c.

a) CICERO *ad Famil.* lib. X. ep. 25.

facile intelligitur, legitimum Praeturae annum habitum esse quadracesimum. Atque hoc anno Cicero Praetor designatus est. [b]) Itaque non audiendus LIPSIVS, qui ex male intellecto DIONIS loco [c]) annum XXX. Praeturae adseruit. Apud DIONEM quidem haec leguntur: Ταμιευσαντες δε και ἀγορανομησαντες, ἢ δημαγεσαντες ϛρατηγειτωσαν τριακοντουται γινομενοι. At haec ibi non narrantur, vt de vero more ac instituto in republica Romana, sed verba sunt Agrippae adhortantis Augustum et significantis, quomodo prudentet moderanda sit respublica, et quae noua instituta ei conueniant, in quibus etiam hoc ponit, vt Praetores fiant tricenarii, functi antea Quaestura, et Aedilitate, et Tribunatu. Hoc autem consilium vim legis Romae vnquam accepisse, nullibi reperies.

§. XI.

Aetas Consularis.

Iam ad honorum fastigium peruenimus, in quo summa dignitas ac maiestas posita erat, Consulatum, qui non nisi viris spectatae virtutis et reliquorum magistratuum functione claris, quibus gerendis et auxerant prudentiam suam, et declarauerant, committi solebat. Horum autem ea aetas desiderabatur, quae abesset quidem a iuuenili calore, at coniuncta tamen cum vigore virili. Indicat illam quam accuratissime CICERO his verbis: [a]) *Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio et tricesimo anno mortem obiit? quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.* Ergo aetas consularis anno XLIII. definita. Vbi inprimis notari debet, suffecisse, si quis intra annum, quo gereret Consulatum, agere inciperet annum tertium post quadracesimum, modo non peteret

b) Conf. CORRADVS l. c. p. m. 65. et 69. et FABRICIVS *ad a. Cicer.* XL.

c) DIO lib. LII. c. 21.

a) CICERO *Philipp.* V. c. 17.

teret ante secundum initum, quod vel Caesaris exemplo MANVTIVS ac GRVCHIVS demonstrant. Quid? is etiam suo anno Consulatum gessisse intelligitur, qui sub finem anni XLIII. eum iniit, vt Cicero, cuius Consulatus tres tantum vltimos anni XLIII. dies attigit, cum reliquum tempus anno XLIV. traduxerit, probante MANVTIO. Quamuis nollem huc referre, quod de se ipse dixit: b) *Se petiisse Consulatum, cum primum licitum fuerit*, et paulo post: *Se hoc honore anno suo affectum esse.* Mallem haec cum GRVCHIO de necessario Praeturam inter ac Consulatum interuallo interpretari. Nam si aetatem spectamus, potuit integro fere anno prius petere ac gerere, siquidem petere anno XLII. et capere anno XLIII. ineunte fas erat. Si vero ad legitimum interuallum respicimus, recte hoc dixit. Nam cum finis Praeturae in vltimam anni illius XLI. partem caderet, non poterat sane prius, quam expleto fere XLIII. anno, Consulatum inire. Quae quidem explicatio nobis admodum videtur probabilis.

§. XII.

Censor. Dictator. Magister equitum. Interrex.

Hi vero sunt magistratus, quos fere non nisi post Consulatum capere licuit, quamuis more potius, vt videtur, quam lege annali, quae singulis honoribus certum annum praescripsit, quem in his magistratibus frustra quaesiueris. Videamus tamen, quid more obtinuerit de singulorum aetate. Ac de Censura quidem constat, eam a solis consularibus viris, hoc est, post annum demum tertium et quadracesimum geri potuisse. Vnde LIVIVS de P. Licinio Crasso, qui Q. Fabio Maximo V. et Q. Fuluio Flacco III. Coss. Censor fuerat, non sine admiratione scribit: a) *Crassus*

b) CICERO *Or. Agrar.* II. c. 2.

a) LIVIVS lib. XXVII. cap. 6. Simile exemplum paulo post in cap. 13. occurrit, de quo conf. EBERLINVS *de Orig. Iur. et magistrat.* cap. XV. n. 25.

sus Licinius, qui nec Consul, nec Praetor antea fuerat, quam Censor est factus, ex Aedilitate gradum ad Censuram fecit; vt significet, accidisse praeter consuetudinem, vt aliquis ante Consulatum ad Censuram vocaretur. At post bellum inprimis Punicum secundum ab hac aetate nunquam recesserunt, vt notat LIPSIVS. [b]) Eadem dignitate et Dictatorem insignem desiderarunt Romani, quod cum plurima exempla declarant, tum clarissime LIVIVS indicat, qui de ritu Dictatoris creandi deque primo Dictatore exponens: *Consulares,* inquit, [c]) *legere, ita lex iubebat, de Dictatore creando lata.* Ex quo loco etiam hoc discimus, morem creandi Dictatorem ex consularibus, ex lege annali haud descendere. Idem fere in comite eius ac administro, Magistro equitum, obseruatum, quem vel e consularibus viris, vel e praetoriis lectum esse, historia comprobat. Interrex vero, ne hunc omittamus, e Senatoribus prodebatur, quod satis notum est, et, vt videtur, e principibus viris. Sed quales hi? Consulares, credo, aut praetorii. Ex his igitur, quae diximus, et Censoris, et Dictatoris, et Magistri equitum, et Interregis legitimam aetatem colligere licet.

§. XIII.

Vigintiuiratus. Praefectura vrbis Latinarum feriarum caussa.

A summis honorum gradibus descendimus, vel transilimus potius ad infimos magistratus, in quibus magis celebrati sunt Vigintiuiratus et Praefectura vrbis Latinarum feriarum caussa, quorum etsi nulla ratio habita est in lege annali, fuit tamen ex more certa aliqua aetas obseruata, qua capi solerent. Erat vtrumque munus legitima quasi via ad superiores honores, vt antea diximus. Quapropter neutrum captum, nisi fere ab adolescentulis, qui futuros

b) LIPSIVS *de magistrat. Rom.* cap. XVIII.

c) LIVIVS lib. II. cap. 18.

turos honores vellent sibi parare. Vigintiuiratum iam anno aetatis vicesimo geri potuisse, ex veteri titulo apud GRVTERVM [a]) colligitur:

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIR.
VIARVM. CVRANDARVM.
ANN. XXI.
Q. IVL. NEPOTIANO. C. V.
IIII. VIRO. VIARVM. CVRAN
DARVM. ANN. XX.
CALP. SABINA. FILIIS.

Frustra dissentit SIGONIVS, [b]) huic magistratui gradum post Quaesturam adsignans. Aut enim fides huius tituli in dubinm vocanda, aut falsa SIGONII coniectura; licet facile concesserim, interdum etiam quaestorios in Vigintiuiris, cum ita placeret, fuisse, praesertim in Decemuiris litibus iudicandis, qui erant in his primarii, et de quibus solis ille dixit. Certius quid de Praefecto vrbi Latinarum feriarum caussa statui potest, quod munus nobili plerumque adolescenti committi solebat. Hunc enim ex ea aetate factum esse, quae non erat senatoria, GELLIVS auctor est. [c]) Quodsi igitur, vt censent viri docti, legitima Senatoris aetas anno XXV. definita fuit, nemo non videt, Praefectum vrbi in feriis Latinis eum semper constitutum fuisse, qui XXV. annum nondum attigisset. Ante annum tamen XX. aut certe

a) GRVTERI *Thesaur. Inscript.* p. CCCCXXIII.

b) SIGONIVS *de iudic. pop. Rom.* lib. I. cap. 8.

c) GELLIVS *Noct. Attic.* lib. XIV. cap. 8.

certe XVIII. (hic enim plenae pubertatis terminus) hoc magistratu fungi haud licuisse, arbitror. Ita vero, quae de lege Villia ac singulorum magistratuum aetate dici vel poterant, vel debebant, ni fallor, expediuimus. Restat, vt, quid post Villium sancitum sit, aut inualuerit, explicemus.

§. XIV.

Lex Pinaria annalis.

Est igitur a nobis commemoranda lex Pinaria, de qua fere omnia incerta. Solus enim eius mentionem facit CICERO his verbis: [a]) *Vt olim Rusca, cum legem ferret annalem, dissuasor M. Seruilius:* Dic mihi, *inquit*, M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es, vt ceteris fecisti? Vt sementem feceris, ita metes, *inquit.* Inde vero cognoscimus quidem nomen auctoris, sed, quis fuerit M. ille Pinarius Rusca, et quando vixerit, id nescimus cum ignarissimis. Fuerunt namque multi Pinarii gestis honoribus clari, in his M. Pinarius Posca, qui a. v. DLXXII. Praetor Sardiniam tenuit, cui GLANDORPIVS [c]) legem nostram tribuit, et, cum sibi obstare videat CICERONEM, qui *Ruscam* appellauit, *Posca* ibi legendum censet, at hoc quidem sine librorum auctoritate: quam ob caussam haec opinio nobis minime probatur. PIGHIVS [d]) vero Pinarium hunc Ruscam, legis annalis rogatorem, Tribunum plebis facit, eique annum vrbis DCXXII. adsignat, at cuius fide, ignoro. Nobis tamen de auctore huius legis atque aetate duo videntur verisimilia, alterum, quod ille fuerit Tribunus plebis, si verum est, quod vulgo traditur, et ex nominis numero eruitur, signum: alterum, latam esse post legem Villiam, siquidem

D 2 com-

a) CICERO *de Orat.* lib. II. cap. 65. *Hist. Rom.* s. v. *Pinarii*, p. 681.
b) LIVIVS lib. XL. cap. 18.
c) GLANDORPIVS in *Onomast.* v. 622. T. III. p. 16.
d) PIGHIVS in *Annal. Rom. ad a.*

comperimus, PIGHIVM non facile coniecturas admisisse, quae omni careant fundamento, licet earum non semper reddiderit rationes. Hoc autem certissimum ex CICERONE, eam non sine magna contentione fuisse perlatam, M. Seruilio dissuadente. At de argumento legis atque capitibus quaerenti, vix est, quod respondeamus, praeter hoc, egisse de magistratuum aetate. Fuit enim *annalis*, vt vocat TVLLIVS. Forte, si fas est coniectura rem expedire, legitimum Quaesturae annum ita mutauit, vt, cum antea non nisi decem stipendia meriti anno XXVII. capere possent, nunc iis quoque, qui inferiores magistratus gessissent, iam anno XXV. ea contingeret. Sed mera est diuinatio, quam pertinaciter propugnare vix auderemus.

§. XV.

Solutio legibus annalibus facta libera republica.

In his autem ipsis legibus annalibus obseruandis tantum abest, vt summus fuerit Quiritium rigor, et expers omnis indulgentiae, vt potius, cum legitimam adesse caussam, intelligeret populus Romanus, lege posthabita, gratiam saepe fecerit candidato nondum maturo ob aetatem. Ac profecto, cum iuuenum quorundam temeritas legibus annalibus olim condendis caussam dedisset, [a]) quid sapientius, quam neglectam esse legem, vbi deesset ratio? Quapropter, cum iuuenem forte magno ingenio eximiaque virtute excellentem, rebusque supra aetatis spem praeclare gestis celebratum viderent, talem annorum necessitate liberare, et summis in republica honoribus, tamquam iustis virtutis praemiis, ornare non dubitarunt, quandoquidem ab excellenti eximiaque virtute, vt ait TVLLIVS, progressum aetatis expectari non oportet. Cuius rei firmandae

a) CICERO *Philipp.* V. cap. 17.

hac caussa nos illustriora quaedam exempla proponemus: nam plura non possumus ob breuitatem. Notatu profecto dignum, quod maiori Scipioni Africano, cum Aedilitatem curulem admodum iuuenis, sed bellica virtute iam clarus, peteret, euenit, de quo ita LIVIVS: b) *Huic petenti Aedilitatem cum obsisterent Tribuni plebis, negantes, rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset:* Si me, *inquit,* omnes Quirites Aedilem facere volunt, satis annorum habeo. *Tanto inde fauore ad suffragium ferendum in tribus discursum est, vt Tribuni repente incoepto destiterint.* Illud vero inauditum in Romana republica, quod de huius nepote per adoptionem, Scipione Africano Aemiliano, dicto Numantino, Liuii Epitomator refert: c) *P. Scipio Aemilianus, cum Aedilitatem peteret, Consul a populo dictus, quoniam per annos Consuli fieri non licebat, cum maximo certamine, suffragantibus plebeiis, et repugnantibus aliquamdiu patribus, legibus solutus, et Consul creatus est.* Quid autem magis abhorret a moribus Romanis, quam iuniori nec petenti supremum dari magistratum? Hinc, quanti fecerit Aemilianum populus Romanus, licet aestimare. Memorabile etiam Cn. Pompeii Magni exemplum, qui, vt scribit CICERO, d) *legibus solutus Consul ante factus est, quam vllum alium magistratum* (*curulem* intellige: ita enim nos interpretamur) *per leges capere licuisset.* Nec denique praetereundum, quod de P. Licinio Crasso LIVIVS narrat, e) eum, cum antea nec Consul, nec Praetor quidem fuisset, statim ex Aedilitate gradum ad Censuram fecisse. Ex more enim Censores non nisi fere e Consularibus creabantur. Plura exempla qui desiderat, adeat ipsos rerum Romanarum scriptores.

 Nostri

b) LIVIVS lib. XXV. cap. 2.
c) *Epitom. Liu.* lib. L.
d) CICERO *pro lege Manil.* cap. XXI.
e) LIVIVS lib. XXVII. cap. 6.

Nostri erat, ea tantum commemorare, in quibus singulare quid deprehendisse videbamur.

§. XVI.

Legum annalium sub principibus conditio.

Paulo maior tandem sub principibus euasit leges annales posthabendi licentia. Quod quidem duplici ratione factum est, cum aut ex legis beneficio certum hominum genus ante legitimam aetatem magistratus caperet, aut singulis personis annorum numerus remitteretur. Prius est ex lege Papia Poppaea, a. v. DCCLXII. lata, in cuius capite octauo, si recte collocauit HEINECCIVS, [a]) *petentibus honores singuli anni per singulos liberos demissi sunt*, vt VLPIANVS [b]) indicauit. Fuit ergo hoc cum multis aliis της πολυτεκνιας praemium, vt, qui liberis operam dedissent, honores tot annos citius, quam per annarias leges liceret, sine fraude petere possent, quot iis liberi essent superstites. Vnde trium liberorum patri anno XXXIX. duorum anno XL. vnius vero filii aut filiae anno XLI. Consulatus candidatum se profiteri licuit. Ita etiam in ceteris magistratibus. Cui sanctioni cum postea fraudes fierent, fictis praesertim adoptionibus, C. Memmio Regulo et Virginio Rufo Coss. a. v. DCCCXV. censuit, *ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret.* [c]) Ex quo tempore nec in honoribus ante legitimam aetatem petendis, nec in amoliendis muneribus publicis profuerunt liberi adoptiui. Alterum, quod diximus, in singulis personis leges annales neglectas fuisse, cum ad illos pertinet, qui legibus soluti sunt a Senatu, tum ad eos, qui etiam sine

a) HEINECCIVS in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp.* lib. II. cap. VII. §. 3. p. 201.

b) VLPIANVS lib. XIX. *ad leg. Iul. et Pap.* in cap. II. π. *de minor.* Conf. omnino HEINECCIVS l. c. p. 201. sq.

c) TACITVS *Annal.* lib. XV. cap. 19.

fine Senatus priuilegio solo principum iussu summos honores ante legitimum tempus obtinuerunt. Idque maxime apparet in filiis principum ac amicis, qui vel plane non, vel dicis caussa legibus soluti, admodum iuuenes, imo pueri magistratus gesserunt. Horum exemplis abundat historia, ex quibus nonnulla tantum seligere nobis est animus. Ac Quaestores quidem multi fuerunt vel ineunte adolescentia, vt *Tiberius*, qui anno XIX. [d]) *Caligula*, qui quinquennio maturius legitima aetate, [e]) *Antoninus* Philosophns, qui anno XVIII. [f]) *Iulianus*, qui ante annum, quam legitima aetas sinebat, [g]) hunc magistratum ceperunt. Praeturam *Plinius* consecutus est, cum ei Caesar annum remisisset, vt ipse ad Fabatum scribit. [h]) Consulatum vero principum aetate etiam XX. annis minoribus interdum contigisse, VLPIANVS haud obscure docet. [i]) Nec desunt exempla. Sane *Augustus*, [k]) nec-non *Nero* [l]) anno XX. *Commodus* iuuenis adhuc, cum veniam legis annariae impetrasset, [m]) *Pertinax*, cum signifer militaret, [n]) *Geta*, Seueri filius, minor adhuc et paulo post virilem togam captam, [o]) Consules facti sunt. Nec filios, pueros adhuc, consulari dignitate insignire, Imperatores dubitarunt, vt apparet ex constitutionibus, quae N B. P. (nobilissimis pueris) Coss. datae sunt, quales in Theodosiano Codice reperiuntur. [p]) Quid? *Iouianum* non puduit, collegam Consulatus

d) VELLEIVS PATERC. lib. II. cap. 94.

e) SVETONIVS in *Calig.* cap. I.

f) IVL. CAPITOLINVS in *Anton.* cap. V. ibique CASAVBONVS.

g) SPARTIANVS in *Iuliano*, cap. I.

h) PLINIVS *Epist.* lib. VII. ep. 16.

i) VLPIANVS lib. II. *de Offic. Conf.* in cap. vn. *§.* 2. *π.* *de offic. Conf.*

k) SVETONIVS in *Octau.* cap. XXVI.

l) TACITVS *Annal.* lib. XII. cap. 41.

m) LAMPRIDIVS in *Commodo*, cap. II.

n) CAPITOLINVS in *Pertinace*, cap. II.

o) SPARTIANVS in *Seuero*, cap. XIV.

p) L. IV. C. Th. *de proxim. Comit. dispofit.* L. IX. et X. C. Th. *de veteran.*

tus ſibi iungere filium *Varronianum*, infantulum, qui, quo minus ipſe, dum ambo more maiorum Conſulatum inirent, ſella veheretur curuli, vagitu ſuo prohibuiſſe legitur. q) Tanta fuit illorum temporum inſania!

§. XVII.

Peroratio.

Finita igitur eſt, ni fallor, noſtra tractatio, quae a primis fere reipublicae Romanae temporibus orta et ad principes progreſſa, in infimis paene deſiit Imperatoribus. Vellem et abſoluta eſſet ac perfecta, quod ingenii eſt, atque doctrinae, a qua cum nos ob aetatem longe abſumus, ſicut illo parum inſtructi, rudem forte ac impolitum hunc libellum prodiiſſe, quis miretur? Neque vero hoc ſolum. Acceſſit aliud, vnde noſtrae ſcriptioni infortunium imminebat, impedimentum. Nam cum haec opella ad medium fere eſſet perducta, ſubito in morbum incidimus, non tam grauem, quam moleſtum, qui a labore nos paululum auocauit. Attamen cum tempus edendo huic libello definitum appropinquare intelligeremus, aegrotantes adhuc (hoc enim nobis vitium, vt, quod ſemel cepimus, conſilium vix deſeramus) reliquam partem abſoluere coacti ſumus. Vnde factum eſt, vt et ipſe libellus morboſus euaſerit, multisque forte, vt fit, maculis deformis in lucem prodierit. Quod ipſum tamen non omni, credo, excuſatione indignum eſt. Nam, qui non aetati noſtrae, certe morbo indulgebunt.

q) AMMIANVS MARCELL. *Hiſtor.* lib. XXV.

